

**PLATONIS**  
**de animo placita**

Scripsit

**Josephus Szostakowski**  
phil. Dr.



Audiamus enim Platonem quasi  
quemdam Deum philosophorum.  
Cic. d. N. D. L. II c. 12.

Quum recentioris philosophiae placita ac praecepta aut omnino aut maximam partem ex veterum Graecorum Romanorumque philosophorum scriptis deprompta esse videantur, ut qui illius scientiarum omnium scientiae primos quasi fonticulos ex antiquitate derivandos existimaverint, ii demum rectam veritatis investigandae viam ac rationem commonstrasse putandi sint; quumque ii, qui a veteribus vel probata ingeniose ac perfecta, vel indagata studiose et inchoata negligunt vel etiam aversantur, in justas reprehensiones incurrant, nec immerito acta saepe agere dicantur: quidnam est causae, cur excusata velim navatam a me hanc Platonicae philosophiae quantamcumque operam, quum praesertim constet inter doctos, Platonem unum omnium veterum philosophorum dignissimum esse, cui sapientiae palma deferatur, a quo uno omnis initium philosophiae merito ducatur? Quum enim, quae in vero investigando acute ac sagaciter ab illo inventa ac perfecta multis locis admiramur, satis videntur eximia et egregia, quibus laus summa tribuatur, tum ars poetica, qua usus est in dialogis ad veritatem propagandam compositis tam est singularis

ac paene divina, ut, non dico in philosopho, sed ne in poeta quidem perfectissimo major requiri posse videatur. Quum igitur, quo fuit singulari prorsus veri pulchrique sensu, id egerit semper, ut quae a veritate ingeniose ac sagaciter investigata eloqueretur, eadem et verborum lectissimorum praestantia et compositionis egregiae artificio studiose exornaret, ut vel nimium nonnunquam poeticae arti indulsisse videatur: fieri omnino non potuit, quia minus apertae ac planae evaderent passim sententiae ab ipso propositae. In qua rei tractandae accurata exploratione eleganter ornataque prolata, quamvis summa constare perfectio vulgo existimetur, hoc tamen pulchri decorique studio tantum abest, ut sublevemur in sententiis summi philosophi perspicendis ac rimandis, ut maximo saepe Platonem penitus cognoscere cupientibus sint obstaculo. Testes sunt novi, qui in philosophiae historia feruntur Platonici,\*) testes multi docti viri, qui nostra hac memoria quum operae ac temporis quam plurimum ingeniique vim omnem in Platonis operibus explicandis consumsissent, eas plerique omnes protulerunt sententias eaque judicia, quae toto caelo di-

\*) Vide e. c. Tiedemanni Argumenta Platon. p. 340. Ex ineptiis ac nugis Novorum Platoniceorum quae risum nonnunquam moveant, facile colligas, quanto opere erraverint, qui iterum iterumque affirmarunt, Platonis sententias qui aperire voluerit, eum omnia omni posterioris aevi phi-

losophia, Platonem unum spectare debere; quum luce clarius sit et comprobetur perversis illorum sententiis, penitus imbutum esse debere philosophia et omni doctrina excultum, qui cavere voluerit, ne in illustrandis summi philosophi placitis decipiatur.

stare et pugnare secum nemo est, quin videat. Multa enim leguntur apud Platonem, quae quum ab ipsius abhorrerent placitis, indoli vel ingenio ejus, quem loquentem fecit, largitus esse videatur; unde facile conicias, quam sit difficile statuere, quae Platoni quae aliis sint vindicanda. Accedit quod summus philosophus, dum omnem anxie fugit verborum sententiarumque sterilitatem, poetico plerumque genio eo indulsit consilio, ut quae minus perspecta ac probata haberet mythico ornatu involveret: ne videlicet sua ipsius culpa res extenuasse summas videretur.\*) Ipsa etiam, qua usus est Plato, philosophandi ratio prohibet saepe, quominus verum pervideamus, quum multis dialogis id unum propositum habuerit, ut ars dialectica, qua inprimis pollebat, exerceretur, et refutarentur,\*\*) quae vulgo pro veris circumferebantur, neque tamen, quid verum esset, perspicue appareret.\*\*\*) Praeterea quum in dialogis aliquot veterum philosophorum aliquos loquentes fecerit, est saepe quod dubites, utrum suam an illorum proponere sententiam animum induxerit.†) Denique receptum jam antiquitus est, Platonem non absolvisse unum ab omni parte perfectum systema, sed exemplo sane quam laudabili multas philosophiae universae partes aut omnino ne attigisse quidem, aut ingenue, ubi vires deficerent,

confessum esse; qua eadem modestia s nostrae aetatis philosophii essent, non esset cur quereremur, quod, qui in singulis philosophiae partibus perquirendis multum proficere potuissent, insolenti quadam vanitate elati, cumulent innumera, quae nullius pretii sint, systemata.††)

Sed satis jam superque attulisse nobis videmur, quo quum maximam Platonem commentari cupientibus offerri difficultatem ostenderemus, tum vel summam in explicandis placitis ipsius adhibendam cautionem confiteremur. Quare ad propositum jam veniamus et explicemus, quae nobis Plato de animo nec non de anima, utrumque enim *ψυχή* complectitur verbum, statuisse videatur.†††) Qua de re difficillima, quum excepto Phaedone dialogo, quo animorum probatur immortalitas, nullum a Platone opus editum esse constet, hauriendaque fuerint omnia, quae quidem huc pertinerent, punctisque quasi singulis colligenda ex iis dialogis, quibus aliqua feret rei hujus mentio, id nobis nostro quodam jure vindicasse videmur, ut ordinem sequeremur eum, qui non systematis alicujus adstringeretur vinculis, sed quo sensim ac sine difficultate ad perspicendas Platonis sententias progredieremur. Ac primum quidem si etymologiam spectaveris est locus luculentus Crat. p. 399.

\*) Quod qui ignorant immerito Platonem levitatis vel etiam amentiae insimulant et aequae impudenter se jactant atque Vellejus ille in Ciceronis L. I. c. 8. de N. D. quem locum apposuisse juvabit. „Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua constructi a Deo atque aedificari mundum fecit? Quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? Unde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum parietendosque sensus?“

\*\*) Cic. de N. D. L. I. c. 5. „Non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt: sed lucem auctoris fortasse desiderant: ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamque rem aperte judicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcolis, confirmata a Carneade, usque ad nostram viguit aetatem.“

\*\*) Purimi Platonis dialogi eo procul dubio compositi sunt consilio, ut perversae hominum, qui tum temporis fuerunt, diluerentur sententiae ac convellerentur: quod quem fugit, is quomodo integrum de Eutyphrone, de Politico, de Sophista, aliis dialogis iudicium ferre pos-

sit, omnino nescio. —

†) Neque vero non impedit ironia illa, quam a Socrate velut hereditate acceptam lepidissime Plato exerevit, de qua Cic. Brut. c. 85. haec leguntur: „Tum ille, Ego inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis et Xenophontis et Aeschinis libris utitur, facetam et elegantem puto. Est enim et minime inepti hominis, et ejusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptatur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socrates in coelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem.“

††) Fuerunt tamen qui Platonem systema quoddam placitorum suorum composuisse et edidisse contenderent. Qua in re probanda Brandisius, vir doctissimus ac de philosophiae historia optime meritus, Aristotele auctore, qui quum Platonis carpit, ut solet, placita Platonicum quendam de Ideis librum citare solet, conjectura ingeniosa effecit, ut exstitisse aliquando sed temporis injuria perisse librum illum, verisimile videatur.

†††) Quas voces vel ab ipsis Romanis non admodum passim

Ϟ. 400. A. B. Quā dialogus quā ab etymologia haud scio an prorsus sit inutilis ac paene ineptus, magni tamen admodum aestimandus est propter quasdam rerum gravissimarum definitiones: quare ommissa etymologia animum eo potissimum intendamus, quid hoc loco Plato τῆ ψυχῆ tribuerit, quamque eam esse voluerit. Ubi quum haec dixerit: οἶμαι τι τοιοῦτον νοεῖν τοῖς τῆν ψυχῆν ὀνομάσαντας, ὡς τοῦτο ἄρα διὰν παρῆ τῷ σώματι, αἰτιὸν εἶμι τοῦ ζῆν αὐτῷ, τῆν τοῦ ἀναπνεῖν δύναμιν παρέχον καὶ ἀναψύχον ἅμα δὲ ἐκλείποντος τοῦ ἀναψύχοντος τὸ σῶμα ἀπόλλυται τε καὶ τελευτᾷ. Ὅθεν δὴ μοι δοκοῦσιν αὐτὸ ψυχῆν καλεῖσαι: verum tetigisse nobis videatur, quum verbi ipsam vim declarare rem contendat. Sed quae sequuntur p. 400. B. Καλῶς ἄρα ἐν τῷ ὄνομα τοῦτο ἔχοι τῆ δυνάμει αὐτῆ, ἢ φύσιν ὀχεῖ καὶ ἔχει, φυσέχην ἐπινοοῦσιν. Ἐξεσι δὲ καὶ ψυχῆν κομψενόμενον\*) λέγειν.\*\*\*) comprobant quod supra iudicavimus, Platonem scilicet non secus atque nostrae aetatis nimis curiosos quosdam etymologos vim ac manum inferre verbis, quum nulla grammaticae artis ratione habita, obtrudat vocibus eandem ac rebus rerumque notionibus originem: qua verò in re non admodum equidem Platonem reprehensum velim, quippe qui mihi dialogo illo luisse tantum ingeniose videatur. Aperte tamen dixit, quid sibi ψυχῆς vox significare videretur, complecti eam videlicet animae notionem, spiritus illius, quo ducendo animalia viverent, et animi, quem licet animam rationis participem dicas, mentis per orbem terrarum effusae, quae mundum regeret et quae conjuncta animae vitam efficeret humanam; nam τῆν φύσιν παντὸς τοῦ σώματος ὥστε καὶ ζῆν καὶ περῖέναι, τί σοι δοκεῖ ἔχειν τε καὶ ὀχεῖν ἄλλο ἢ ψυχῆ: — — Τί δὲ: καὶ τῆν τῶν ἄλλων ἀπάντων φύσιν οὐ πιστεύεις Ἀναξαγόρα νοεῖν καὶ ψυχῆν εἶναι τῆν διακοσμοῦσαν καὶ ἔχουσαν: — Qua quidem definitione efficitur, ut intelligatur plane,

vocem graecam complecti, quae Romani dirimere soliti sint, quum angustius apud ipsos valerent, neque nos erraturos, quum tum animae tum animi verbum ad convertendam ψυχῆς vocem adhibuerimus, dummodo bene cognitum habeamus, utram illarum ψυχῆς partem cogitaverit Plato. Sequitur ut corporis definitionem afferamus, ab una etymologia minus aptam, cetera ingeniosam admodum ac veram. Haec enim leguntur Orat. p. 400. C. — — σῆμά τινές φασιν αὐτὸ (τὸ σῶμα) εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι, καὶ διότι αὐτὸ τούτῳ σημαίνει ἢ ἐν σημύρη ἢ ψυχῆ, καὶ ταύτῃ σῆμα ὁρθῶς καλεῖσθαι.\*\*\*) Unde elucet, videri Platoni quasi sepulcrum esse corpus, quae abscondita et inclusa anima libertate careat sua et errori sit obnoxia, divinae veritatis luce privata. Cui definitionis parti altera additur non minus vera neque minus cum Platonis de anima placitis congrua, corpore uti animam ad voluntatem, ad sensus internos significandos, ad res percipiendas sensibus et convertendas in usum suum. Quod idem iudicium de corporis natura atque indole populariter sane eloquitur Plato in Alc. I. p. 129. Affirmatur enim illic, quum videatur p. 130. A. οὐδένα ἐν ἄλλως οἰηθῆναι, μὴ οὐ τριῶν ἐν γὰρ τι εἶναι τὸν ἀνθρώπον, ψυχῆν ἢ σῶμα ἢ καὶ ζυγαμφοτέρων, τὸ ὅλον τοῦτο: animum esse hominem, qui corpore ea una de causa praeditus sit, ut ipso tum ad omnem scientiam parandam, tum ad agendum quid velut instrumento quodam utatur. Ita enim argumentatur I. I. Socrates cum Alcibiade disputans: Quum tecum, o Alcibiades, disputo, nonne Socrates est, qui loquitur, Alcibiades qui auscultat nunc ipsum? At vero, quum qui disputat, eum necesse sit sermone uti, sermo hic discernendus est accurate ab illo, qui verba facit; eodem prorsus modo, quo qui secat aliquid discerni debet ab eo, quo ad secandum utitur, instrumento. Verum etiam manus qua instrumentum illud tenetur, instrumenti instae

discerni solitas esse, ex Cic. Tusc. Lib. I. c. 9. elucet: Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant nomen. Nam et agere animam, et efflare dicimus: ipse autem animus ab anima dictus est.

\*) Ipsi nimirum Platoni subtilius hoc modo ψυχῆς vox derivari videbatur.

\*\*) Similiter de etymologia balbutientem Balbum fecit Cicero de N. D. Lib. II. c. 25. 26. ut nihil mirer si eui ineptus Neptunus a nando, et perversus a magna vertendo deri-

vatus Mayors videntur.

\*\*\*) Quae sequuntur: Δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θεῖσθαι οἱ ἀρχαῖοι Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα; ὡς δίκην διδουσης τῆς ψυχῆς, ὣν δὴ ἐνεκα διδασκ. τοῦτον δὲ περιβολὸν ἔχειν. ἵνα σωθῆται δεσημοτηρίων εὐκόνια εἶναι οὐκ τῆς ψυχῆς τοῦτο αὐτὸ ὡς περὶ ὀνομάσται, ἕως ἂν ἐκείνη τὰ ὀφειλόμενα τὸ σῶμα, καὶ οὐδὲ δεῖν παρέχειν οὐδὲν γράμμα. ejusmodi jam sunt, ut nauseam faciant.

illi, quem secantem fecimus, afficta est, quum vel totum corpus instrumenti vice fungatur Alc.I. p. 130. A. *ἔτερον ἄρα ὁ ἀνθρώπος ἐστὶ τοῦ ἐαντιοῦ σώματος.* Verum enim vero quum jam quaerendum esse videatur, quidnam potissimum homo sit, animum esse apparet, cujus imperio ac nutu corpus regatur. Neque enim corpus homo est, quippe quod non ad imperandum natum sit, neque corpus cum animo conjunctum, quum homo is tantum recte dicatur, qui agat aliquid, alia omnia, quaecumque rei cuiuspiam perficiendae adhibentur, sive corporis partes sunt, sive aliunde arrepta et ad corpus sublevandum destinata, non hominem efficere sed homini inservire putanda sint l. l. p. 130. E. *οὐ γὰρ που κριώτερόν γε οὐδὲν ἐν ἡμῶν αἰσῶν γήσαιμεν ἢ τὴν ψυχὴν. — Οὐκοῦν καλῶς ἔχει οὕτω νομίζεῖν, ἐμὲ καὶ σὺ προσομιλεῖν ἀλλήλοις, τοῖς λόγοις χρώμενος τῇ ψυχῇ πρὸς τὴν ψυχὴν. — Τοῦτ' ἄρα ἦν, ὃ καὶ ὀλίγον ἐμπροσθεν εἵπομεν, ὅτι Σωκράτης Ἀκιβιάδῃ διαλέγεται λόγῳ χρώμενος· οὐ πρὸς τὸ σὸν πρόσωπον, ὡς ἔοικεν· ἀλλὰ πρὸς τὸν Ἀκιβιάδην ποιούμενος τοὺς λόγους, τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ ψυχὴ.* Quo eodem pertinent, quae paullo infra dicuntur, qui corpus amet Alcibiadis, non amare Alcibiadem, *οὐκ Ἀκιβιάδου ἠρώσθη, ἀλλὰ τινος τοῦ Ἀκιβιάδου* p. 131. C. Amare Alcibiadem, qui animum ejus carum habeat, quod vel exinde colligas, quod qui corpus adamaverit, deseret te, quum corpus vigere ac florere deserit, animi qui fuerit captus amore, nunquam te missum faciet, *ἕως ἐν ἐπὶ τὸ βέλτιον ἔης.* Discerni itaque debet a corpore animus, quippe qui corpore velut domo et instrumento utatur, et domini vice fungatur, quum corpus servi sit loco habendum. Nam *γαίνεσθαι ἡγεμονεύουσα τε ἐκείνου πάντων, ἐξ ὧν γησὶ τις αὐτὴν εἶναι, καὶ ἐναντιομένη ὀλίγον πάντα διὰ παντός τοῦ βίου, καὶ δεσποζούσα πάντας τρόπους κ. τ. λ.* Phaedon p. 94 D.

Id igitur agit semper is, qui vere homin e praestare se studet, ut corpore et omni ateria ve-

lut instrumento utatur, quo juvetur in veritate quaerenda, animo excolendo, liberando se ipso ab illis, quibus, ex quo in mundum hunc migravit, tenetur vinculis. Quocirca recte qui sapientiae student mori velle dicuntur, quum id agant videlicet, ut avellendo sensim animo a corpore id efficere paulatim ac sua sponte conentur, quod mortem subito et quandam ad necessitatem effecturam aliquando sciunt. Quum vero corpus alienum sit ab animo et pateat materiam animo officere, quominus vera a falsis discernere possit, quum ita obscuretur animus iisque obducatur tenebris a corpore, ut vel bonum a malo distinguere nequeat, necesse est animus, ne illius succumbat oneri aut capiat illecebris, oppugnare et suae quasi ditioni subicere eam studeat; quod qui agunt philosophi appellantur. Hi vero id potissimum spectare dici possunt, ut moriantur paulatim, nam mors *ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγὴ* Phaedon p. 64. C. qua efficitur *χωρὶς τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος ἀπαλλαγῆσαν αὐτὴν καὶ αὐτὴν εἶναι.* Quum vero jam satis constet animum a corpore discernendum esse, quocum non sit conjunctus nisi ad certum quoddam tempus, quum etiam in vita hac id unum inprimis spectare debeat, ut ne obruatur contraria sibi atque inimica corporis vi, denique ut sejungatur omnino et liberetur ab omni corporis contagione; quaerendum jam videatur, unde ac quomodo in mundum hunc sensilem, qui dicitur, descenderit animas, quum neque sensuum ope prehendi ullo modo possit, neque ipsi quidquam terrenum vel sensile admixtum esse videatur. Qua de re quaerentibus adeundus est Timaeus dialogus, \*) quo quum propositum habuerit Plato enarrare mundi originem et compositionem a Deo quodam summo factam, facere non potuit, quin animae etiam, quippe quae altera eademque praestantior mundi pars esset, aliquam inferret mentionem. Quum vero animi humani indoles ex animae mundi natura deducenda potissimum videatur, ad perspicendam penitus illius originem et ortum enarrabimus, quae Plato de mundi totius origine deque anima

\*) Erant qui dialogum hunc dicerent eundem cum libello, qui etiamnum extat a Timaeo Loero conscriptus, sed auctum et amplificatum a Platone. Adnumerandus illis temere judicantibus Hegelius in „Geschichte der Philosophie Th. II. S. 182, qui censet: Sein Timäus ist nach allen Zeugnissen Erweiterung einer pythagoräischen Schrift, die wir noch haben; überschriftsähnliche Leute (Philologen?) sagen, diese sei erst

aus Plato gemacht.

Quum propter obscuritatem ac difficultatem rerum, quae Timaeo dialogo continentur, partes ejus passim non satis cohaerere videantur, propterea Wolfius, qui laetato inclauit Homero, Timaeum quoque Platonis lacerandum existimavit, quippe quem ex multis ac variis conflatum diceret fragmentis.

mundi ingeniose, ut solet, disseruit. Tim, p. 27. D. sqq. Omnium enim rerum duo ait principia esse statuenda, quorum unum complectatur omnia, quae neque oriantur neque occidunt, alterum omnia τῆ γενέσει obnoxia, quorum hoc fugiat ac decipiat omnem veram cognitionem, illud probe cognitum unice veram efficiat scientiam. Sed utrumque tamen genus prodire aliquando oportuit, neque etiam sine causa \*) creari potuit, unde justo jure quaeratur, utrum, quae de causa et quomodo creatum sit ab opifice Deo universum. Ad quae Plato ipse respondet Tim. 28. B. (ὁ κόσμος) γένονεν\*\*) ὁρατὸς γὰρ ἀπίος τέ ἐστι καὶ σῶμα ἔχων, πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα ἀσθηνά, δόξῃ περιληπτά μετὰ ἀσθνήσεως γιγνόμενα καὶ γεννητὰ ἐφάνη. Quam porro nihil, quod quidem extiterit aliquando, causa carere queat, quaeraturque causa, qua motus mundum creaverit Deus, \*\*\*) apparet, causam illam bonitatem fuisse divinam, inde potissimum conspicuam, quod quidquid habuit effector ille et moderator tanti operis et muneris, id facere non potuit, quin cum aliis inferioribus licet se ipso communicaret naturis. Illa igitur bonitate ductus mundi elementa mixta nulloque ordine digesta quam posset firmissimo ordinis, praestantiae, pulchritudinis devincire constituit vinculo, ad quam rerum omnium perfectionem quum nihil plus conferret mentis vi, mens autem

sine anima informari vel prorsus existere non posset, †) mentem anima, animam corpore inclusit Tim. p. 30. B. Qua ex re elucet, animam vinculum illud esse quod copulet τὸν νοῦν et τὴν ἀνάγκην Tim. p. 48. quo natura divina cum hoc mundo sensili cohaereat. Deus itaque, cujus perfectio in idearum non degenerata conspicitur conjunctione, imprimis vero in bonitate idearum omnium vertice ac vinculo, mundum provocavit quem eundem pro sua ipsius perfectione perfectum esse voluit, ††) ratione, quam anima circumdedit, per mundum hunc effusa. Tim. p. 30. C. οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκόσια δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον ζῶον ξιψυχὸν ἔννοον τε τῆ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. †††) Animam autem mundi composuit Deus ex ταύτῳ καὶ θάτερον existentiae vel essentiae, quam dicimus, generibus, ††††) qua ex copulatione tertium prodiit aliquid, quod ut perseveraret neve dissolveretur, denuo τῆ οὐσίας imbuere necesse erat; quod nisi factum esset, periculum erat, ne dilaberentur omnia, ut si in homine puta idea hominis cum materia copuletur, existat tertium quiddam, quod neque ideae merae, neque materiae solius speciem prae se ferat, permanere tamen nequeat, ni accesserit οὐσία quaedam, non illa quidem idearum, aut materiae, sed οὐσία naturae ex hisce ipsis compositae. Itaque ut coirent et coge-

\*) Tim. p. 28. A. πᾶν δὲ αὖ τὸ γιγνόμενον ἐπ' αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίνεσθαι· παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν. Quatuor enim in quavis re procreanda apparent principia, quae dicuntur, de quibus quum singulatim quaesitum esset in Phileb. p. 26. haec esse apparet p. 27 B. Πρῶτον μὲν τοίνυν ἀπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πῆρας, ἔπειτ' ἐκ τούτων μίξιν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων, ἄρα μὴ πλημμελοῖην ἂν π:

\*) Haec in re dissentire Platonem cum Aristotele quum ex scriptis eorum, tum etiam ex Cic. Tusc. L. I. c. 29. elucet, ubi haec leguntur: Haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur; vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris.

\*\*\*) Deum hunc conjectura assecutum esse Platonem, negari omnino nequit, quae de re Vellejum disputantem audivisse juvabit Cic. d. N. D. L. I. c. 8. Itaque Novi, qui feruntur, Platonici, quum naturam divini numinis nusquam a Platone enu-

cleantam accuratius viderent, ad Parmenidem dialogum confugerant, hoc nimirum dialogo summi numinis indolem illustrari putantes.

Qua in re singularis Platonis pietas notanda. Quum enim via ac ratione sese Dei naturam assequi non posse videret (Phaedrus. p. 246. D. quo loco nullam nos Dei notitiam habere asseverat), tamen nusquam non summum honorem ipsi habendum esse ait.

†) Phileb. p. 30. G. Σοφία μὲν καὶ νοῦς ἄνευ ψυχῆς οὐκ ἂν γενοίσθην et p. 30. E. νοῦς ἐστὶ γενούσης τοῦ πάντων αἰτίου.

††) Tim. p. 29. A. δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀάδιον ἔβλεπεν.

†††) De Deo deque vita, quam hominum animi egerint, prorsus quam corpore mortali includerentur, Plato non aliter nisi poetice divinare ausus est, cujus divinationis egregium exemplum in Phaedro legitur.

††††) Discrimen inter ταύτῳ et θάτερον accuratius etiam cognoscetur ex Phaedon. p. 80. A. B. p. 83. A. Non constare sibi Plato videtur, quum θάτερον hoc loca pro idea finiti habeat, quamvis innumeris aliis locis idem esse atque τὸ μὴ ὄν contendat.

rentur in unum repugnantia sibi rerum principia, quaerendum vel fingendum erat novum quoddam *ὀσίας γένος*, vinculum quo continentur in perpetuum idealis et materialis natura, quae, quum altera semper sibi constet eademque sit, altera nunquam quiescat, sed moveatur muteturque deinceps, nimium quantum inter se discrepant. \*) *Ὀσία* illa quomodo a Deo composita sit intelliges quum ex Tim. p. 35. et 36, tum ex iis quae Boeckhii, Stallbaumii a. v. d. ad aperendam Platonis sententiam ingeniose commentati sunt. \*\*) Forma mundi hoc modo creati orbicularis est, quum nullis extrinsecus praeditus sit sensibus, non habet enim extra se, quod ope illorum concipiat, omnia intus inclusa tenet ac complectitur. Qua in re non videor mihi a Platonis aberraturus sententia, si dixerō, mentem illam divinitus in mundum delapsam et per totum mundum effusam, divinsam et quasi dimiutam in singulis tum bestiis sensibus praeditis tum imprimis hominibus apparere, et divinitatem (\*\*\*) singulis sphaeris a Platone tributam eo potissimum conspicuam fieri, quod animantia mente ac ratione praedita edat et complectatur. Sed divinitas singulorum orbium in eo praeterea posita est, quod dum oriuntur et occidunt res tum animatae tum etiam animo carentes, ipsa tamen anima mundi per naturam rerum omnem intenta et commeans, fons perennis rerum omnium finitarum, eadem semper maneat et interire omnino nequeat nisi summi Dei numine Tim. p. 22. C. Neque tamen ab ulla parte vere aeternus est mundus hiecc sensibilis, est enim propter *θάτερον* admistionem ad imaginem tantum idearum compositus; itaque aeternitatis imaginae tantum gaudet, tempore infinito, *εἰκότι πάντων* †) Tim. p. 37. D. ut, quae eadem semper sunt in illo coelesti rerum perfectarum quasi domicilio, ea in terris mutationi obnoxia sint continuae.

Ex hac eadem mundi anima, omnium rerum animatarum fonte, hominum animi derivati sunt ac depromti, quod aperte adseveratur a Platone Tim. p.

\*) Comprobantur haec iis, quae Plato de materia Tim. p. 50. ingeniose admodum disseruit.

\*\*) Quae in Timaeo de anima mundi a Deo quodam procreata afferuntur, maximam partem ex Pythagoraeorum placitis petita esse videntur, quibus nisum fere esse Platonem in rerum natura illustranda quum aliunde constat, tum affir-

41. C. Qui quum particulae sint mentis illius divinae, quam Deus inclusit in mundi anima, quumque profecti sint e consortio idearum, has quidem non ignorant, attamen *τοῦ θάτερον*, materiae aliena ab ipsis natura quasi caecati et intuentes *τοῦ θάτερον* admistione depravatas et obscuratas a primo omni prope cognitione carere facile videantur. Tim. p. 44. B. *καὶ διὰ δὴ πάντα ταῦτα τὰ παθήματα γίνονται καὶ ἀρχὰς τε ἄνονος ψυχῆς γίνονται τὸ πρῶτον, ὅτιαν εἰς σῶμα ἐνδεθῆν θνητόν· ὅτιαν δὲ τὸ τῆς αἰῆς καὶ τροφῆς ἔλαττον ἐπιή ρεῖμα, πάλιν δὲ αἱ περίοδοι λαμβανόμενα γαλήνης τῆν ἐναντιῶν ὁδὸν ἴωσι καὶ καθιστῶνται μᾶλλον ἐπιόντιος τοῦ χρόνου, τότε ἤδη πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ἰόντων σχῆμα ἐκάστων τῶν κύκλων αἱ περιφορὰ κατευθιόμενα, τὸ τε θάτερον καὶ τὸ πάντων προσαγορεύονσαι καὶ ὁρθόν, ἐμφορὰ τὸν χρόνον αὐτὰς γιγνόμενον ἀποικλοῦσιν.* Sed corpus etiam hominis ad similitudinem mundi totius compositum est, quippe cujus forma orbicularis sit, quum caput tantum pro corpore sit habendum, reliquis ipsius partibus, quibus ambularet, res prenderet ac contrectaret, instrumentorum instar postmodo afflictis. Quod probatur Tim. p. 90. B. ubi caput *τοῦ σώματος ἔλξα* ingeniosissime dicitur et aperte affirmatur supra, ubi enarratur, hominem, cujus corpus a primo caput merum fuisset, volutatum per salebrosam terrae solum misere laceratum, ut affingendas ipsi manus pedesque putaverint. Dii inferiores, qui in creandis singulis mundi partibus summum mundi effectorem adjuvabant. Homo ita creatus sensibus deinceps praeditus est, quae *ἐνράττα* appellantur in Timaeo, quod videlicet, etsi ipsis solis veritatem ipsam cernere nequeamus, rebus tamen ipsorum ope contemplandis perveniri sensim adhibita ratione ad veram sapientiam sive ad causarum, *τῶν αἰτιῶν*, cognitionem infitari non possis. Tim. 46. D. Qua in re visus primum procul dubio, quum maximam unius omnium afferat utilitatem, locum obtinere dicendus est, quae enim argumentamur fere de mundi

matur etiam a Cicerone Tusc. L. I. c. 10, 17.

\*\*\*) Cic. d. N. D. L. II. c. 13. quae (rerum omnium natura) quoniam talis est, ut praesit omnibus, et eam nulla res possit impedire, necesse est, intelligentem esse mundum, et quidem etiam sapientem.

†) Quemadmodum enim ideae non versantur in hac rerum



totius compositione, qua contemplanda ad sapientiae studium potissimum excitamur, ea quomodo a nobis perciperentur oculorum lumine destitutis? Hoc certe sensu sublato, philosophiam, quae omnium bonorum recte summum videtur, haberemus omnino nullam. Idem dicendum de auditu, qui una cum oculorum acie non eo inservit, ut non sordida nescio qua utilitate quaerenda teneamur, sed ut excitanda in animis nostris harmonia illa divina, quam in ipsis ad mundi totius similitudinem compositam supra diximus, a prava materiae faece liberati, ad idearum nullo furo obumbratam evehamur cognitionem. Tim. p. 47. D. Impedimentum enim esse corpus in animo excolendo infitiri nemo potest et concedendum illi a poetis identidem prolatae sententiae, nihil nos certum vel audire vel videre; quae si vera est, quid tandem judicandum putemus de reliquis multo pejoribus et infirmioribus sensibus. Itaque quum iudicium veritatis nullum in sensibus insit, cautio adhibenda est quam maxima, fides omnis abroganda illis, et mens quam fieri potest studiosissime a corporis communione sevocanda. Phaedon p. 65. A. *δοῦν θάτερον, ἢ οὐδαμῶς ἐπι κτήσασθαι τὸ εἰδέναι ἢ τελευτήσασθαι. τότε γὰρ αὐτὴ κατ' αὐτὴν ἢ ψυχὴ ἔσται χωρὶς τοῦ σώματος, πρότερον δ' οὐ· καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν, οὕτως, ὡς εἴκεν, ἐγγιᾶτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, εἴν ὅτι μάλιτα μὴδὲν ὁμιλοῦμεν τῷ σώματι μὴδὲ κοινοῦμεν, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη.\**) Phaedon 67. A. B. *κάθαρσις δὲ εἶναι ἄρα οὐ τοῦτο ξυμβαίνει ὅπερ πάλαι ἐν τῷ λόγῳ λέγεται, τὸ χωρίζειν ὅτι μάλιτα ἀπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχὴν.* Id enim semper spectandum, ut segregemus animum a corpore, quippe quod pro vinculo sit habendum, quo impediamur, ne ad fontem animorum, mundum idealem escendamus. Itaque sensuum \*\*) ope caute admodum utendum, neque iudicio eorum standum, sed ratio adhibenda in quavis re ponderanda, ut verum a falso secernas, quum corpus pro sua τοῦ θάτερον natura, animum fallere ac decipere soleat, qui quanquam derivatus est ex τοῦ τάνοῦ limpidi veritatis fonte, corporis tamen

consortio ad errandum pronus redditur. Nam qui sensuum confidit testimonio: *ἔλκεται ἐπὶ τοῦ σώματος εἰς τὰ οὐδέποτε κατὰ τὰντὰ ἔχοντα, καὶ αὐτὴ (ἢ ψυχὴ) πλανᾶται καὶ ταράσσεται καὶ ἰλιγγιᾶ ὥσπερ μεθύουσα, ἅτε τοιούτων ἐραπινομένη.* — — *Ὅταν δὲ γε αὐτὴ κατ' αὐτὴν σκοπῆ, ἐκεῖσε οἴχεται εἰς τὸ καθαρόν τε καὶ αἰὲ ὄν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡσαύτως ἔχον.* et quae sequuntur Phaedon p. 79. C. Eadem fere dicuntur Phaedon p. 83. A. *ἐνδεικνυμένη (ἢ ψυχὴ) οὐ ἀπάτης μὲν μετῆ ἢ διὰ τῶν ὁμιλίτων σχέσεις, ἀπάτης δὲ ἢ διὰ τῶν ὄτων καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων· πεύθουσα δὲ ἐκ τούτων μὲν ἀναχωρεῖν ὅσον μὴ ἀνάγκη αὐτοῖς χρῆσθαι, αὐτὴν δὲ κατ' αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀδροῖζεσθαι παρακελευομένη πειθεῖν δὲ μηδὲν ἄλλο, ἀλλ' ἢ αὐτὴν εἰνατῆ, ὅ, τι ἂν νοήσῃ αὐτὴ κατ' αὐτὴν αὐτὸ κατ' αὐτὸ τῶν ὄντων.* Sensuum videlicet ea est natura, ut, quum ad percipiendas res eas, quae mundus hic sensilis complectitur, destinati iidemque corporei sint, res omnes corporeas pro veris nobis offerant, quae tamen a veritate nimium quantum remota sunt. Propterea enim quod ideae solae verae sunt, omnia ad illorum similitudinem composita, non ab omni parte illis respondent, et quum tempori ac loco obnoxia sint, mutari, depravari, quin etiam tolli possunt, et decipi eum necesse est, qui rebus ejusmodi in veritate quaerenda nititur. Ratio necesse est accedat, quae id agat, ut idealem rerum naturam a materiali studiose secernat, quae rimetur, quousque rebus fides habenda ant abroganda sit, quae denique in rerum universitate omnino non esse quaerendam veritatem persuasum habeat, viamque in idealem mundum, veritatis integre unice participem, munit. Quum tamen vestigia quaedam veritatis conspicua sint in rerum universitate, his cavendum est ne abutamur, ne res corporeas, idearum simulacra eadem praestantia et veritate cum primis perfectisque rerum *ὑποῖς* praeditas esse putemus, ne falso veritatis vestigia pro veritate habeamus ipsa. Ab his enim veritatis vestigiis in rerum sensilium innumera multitudo conspicuis

finitarum universitate, sed idearum tantum quasi imagines quaedam, ita non sunt aeternae res ad idearum similitudinem compositae, sed tempore continentur. Temporis autem ratio haec est Tim. p. 38. ut referri omnino nequeat nisi ad ea, quae vel facta jam sunt, vel fient, non cadat in res infinitas, aeternas.

\*) Vide quae eadem de re Cic. Tusc. L. I. c. 23. sane quam ingeniose disseruit.

\*\*) Oculorum praestantiam multo, quo prae aliis sensibus praediti sunt, igne niti Plato existimat: ignem enim vulgo a veteribus reliquis, quae dicuntur, elementis potiorum habitum esse ex Ciceronis etiam clucet Tusc. L. I.

escendere oportet animum ad ideas, quibus, quae nullis finibus obnoxiae sint, continentur ac sustentantur res finitae, idearum effluentes umbrae. Quomodo autem ab illis vestigiis escendatur ad veritatem quum alias tum imprimis dilucide ac scite expositum leges Politic. p. 266. B. 279. C. cujus ejusdem rei exemplum luculentum Sophista dialogus est.

Jam vero ex animae et corporis conjunctione vita oritur, quae provocatur vel maxime voluptatis ac doloris impulsu, quippe quae conspicua fiat potissimum neque constet fere nisi fugiendo dolore, appetenda voluptate. Quum enim secundum naturam fiunt quae patimur, voluptas oritur, quum offenditur, laeditur, opprimitur natura, dolor existit. Tim. p. 64. B. D. Sed fieri solet, ut qui nimium indulgent voluptati, dum dolorem anxii fugiunt, incurrant in vitium turpissimum (*ὁ πάντων μέγιστον τε κακῶν καὶ ἔσχατόν ἐστι*) ut videlicet nimis fovendo corpore animum colere obliviscantur, et dediti corpori omnem pervertant mundi hujus harmoniam, ex qua necesse est animus dominetur, corpus animo pareat. Nam Phaedon p. 83. D. *ἐκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὡςπερ ἦλον ἔχουσα προσήλοι ἀνείη πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονᾷ, καὶ ποιεῖ σωματοειδῆ, δοξάζονσαν ταῦτα ἀληθῆ εἶναι ἅπερ ἂν καὶ τὸ σῶμα γῆ.* vide etiam de Repl. p. 439. At ne corpori obnoxius fiat animus sed expleatur hominis natura, id spectandum semper est, ut animum, quantum ejus fieri possit, segregemus a corpore, ne voluptate nimis efferatur aut deprimatur dolore aut elidatur aegritudine. *Τῷ τὸν τοῦ φρονεῖν ἐλομένῳ βίον οἶσθ' ὡς τοῦτιον τὸν τρόπον οὐδὲν ἀποκωλύει ἕξιν, τὸν τοῦ μὴ χαίρειν μηδὲ λυπεῖσθαι. Ἐρῶρήθη γάρ ποῦ τότε ἐν τῇ παραβολῇ τῶν βίων, μηδὲν δεῖν μήτε μέγα μήτε μικρὸν χαίρειν τῷ τὸν τοῦ φρονεῖν καὶ φρονεῖν βίον ἐλομένῳ.\** Phileb. p. 33. B. Quum itaque qui omnia rabide appetunt cum inexplebili cupiditate misserrimi ac facti recte dicantur, sapientium bonorumque est virorum fugere voluptates, quae quum aetate senili sua sponte quiescere et debili jam corpore evanescere paulatim solent *δεσποτῶν πάντῃ πολλῶν ἔστι καὶ μαινομένων ἀπηλλάχθαι* de Repl. p. 329. D. Vo-

luptas autem ipsa in Phileb. p. 12. 16—17. 27—28 ita definitur. Quum in omni re duo insint principia, *πέρας* et *ἄπειρον*, in homine autem *τὸ πέρας* rationis, *τὸ ἄπειρον* corporis sit, quae ex hoc surgant voluptates infinitas vel immodicas recte appellari. Quum porro rerum omnium ortus is sit, ut e materiae mole incomposita, circumdatis certis ad quoddam exemplar perfectum, vel ut Platonis verbo utar, ad quandam ideam, finibus, prodeat natura a materia fluxa ac mutabilis, ab idea constans sibi: apparet id quod efficiat ut res ideae suae retineant similitudinem *νοῦν* esse, cujus proprium est *τὸ πέρας*; quo ad interitum trahantur et a veritate pristina avellantur, materiam, id est *τὸ εἶρον* sive *τὸ ἄπειρον*. *Πέρασ* autem *νοῦς* est in mundo hoc creando ac regendo conspicuus, quam rationem in homine dicimus, quae eadem suscitetur et augeatur in homine necesse est, ut ne succumbat homo, neve arbitrio materiae omni ratione privatae in errores inducatur. Omnis itaque voluptas corporis causa quaeri recte videtur, quum vago non e ratione sed ex corpore nato oriatur appetitu. Et cohaerent haec acerrime cum illo Phaedonis loco, quo sapiens mortem semper cogitare dicitur, \*\*) quum qui ab infinita caecaque materia ad rationis escendere velit certos nullique dubitationi subjectos fines, idem fugiat necesse sit corporis commercium, unde dolores, voluptates, cupiditates prodire demonstratum est. Attamen voluptates neque oriuntur in animis hominum immortalibus, neque allidunt ipsos. Constat enim natura hominis tribus partibus animo immortalis, mortali, corpore. Nam quum crearetur homo, addita animo immortalis pars mortalis, quo repugnantes sibi animi corporisque cohaerent naturae; quod vel ipsam corporis figuram comprobare Plato existimabat. Sedem enim animi caput esse, quod collo divisum a reliquis corporis partibus, in quibus habitare voluerint Dii *τὸ ἀλόγισον*, mortalem illam animi partem, quae *τὸ θυμικόν* et *τὸ ἐπιθυμητικόν* complecteretur. Nam *τὸ λογικόν*, quod capite continetur, praestantior animi pars est, cui parere debeat *τὸ ἀλόγισον*, quippe quod materiae caecatum et depravatum sit faece. De his animi parti-

\*) Cic. Tusc. L. I. c. 31.

\*\*) Seneca in Cons. ad Marciam c. 23. Inde est quod Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem promittere,

hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem.

bus vide de Republ. p. 439. B. sqq. 580. D. sqq. 436. A. et Tim. p. 73. B. Quo loco cerebrum sedes animi dicitur (quam Aristoteles in corde locavit de part. an. c. 7.) unde medulla per reliquas corporis partes porrecta sit, quae partem animi mortalem, τὸ θνητοειδὲς καὶ τὸ ἐπιθνητικόν comprehenderet. Quibus enim in mundo creando usus est Deus summus adiutoribus diis, ii hominem ita composuisse dicuntur Tim. p. 69. C. παραλαβόντες ἀρχὴν ψυχῆς ἀθάνατον, τὸ μετὰ τοῦτο θνητὸν σῶμα ἀντὶ περιετόρνευσαν ὀχημὰ τε πᾶν τὸ σῶμα ἔδωσαν ἄλλο τε εἶδος ἐν ἀντὶ ψυχῆς προσφοροδόμου τὸ θνητὸν, δευτέρᾳ καὶ ἀναγκαστὰ ἐν ἐαντὶ παθήματα ἔχον, πρῶτον μὲν ἡδονήν, μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, ἔπειτα λύπας, ἀγαθῶν φθγᾶς, ἔτι δ' αὖ θάλασσαν καὶ φόβον, ἄφρονε ζουβούλω, θνητὸν τε δυσπαραμύθητον, ἐλπίδα τ' ἐνπαράγωγον αἰσθησει τ' ἀλόγῳ καὶ ἐπιχειρητῇ παντὸς ἔρωτι. Quum itaque animus in partes tributus sit duas, in pectore sedem locaverunt irae, vim eam animi, quae si obediat rationi utilisissima est habenda; quae tamen quum non minus pertineat ad cupiditatem subter pectus sive praecordia positam, prohiberi saepe non potest, quin illi inserviat. \*) Animus cum corpore hoc modo copulatus corrumpi ac depravari potest ideoque in varios incidit morbos, quorum gravissimus ac vehementissimus habendus est nimius dolor et nimia voluptas \*\*) Tim. p. 86. B. perturbatur enim ita illis affectionibus ut vel rationis usum interdum amittat. \*\*\*) Ne tamen putemus animum humanum a primo pravum et in vitia pronum fuisse, neve videatur nobis per se ad

voluptates et cujusvis generis pravitatem inclinare; corporis habitus aeger ac debilis in culpa fere habendus est, cujus cruor ac succi depravati atque corrupti animum ipsum turbare et corrumpere solent. Neque etiam non est culpanda educatio vitiosa, varii hominum perditorum et improborum de trivis ac compitis petiti sermones impuri, quibus accidit plerumque, ut animi hominum infecti paulatim degenerent (Tim. p. 87 .. †)

Sed apparet jam, homines quum corporis vi ac pondere opprimantur, quum facibus ipsius inflamentur, depravari; quum animorum solam spectent perfectionem corporibus in usum suum rationis arbitrio adhibitis, sapientiores fieri ac meliores. Itaque in animo excolendo totius vitae summa versatur, quod qua re potissimum nitatur et quomodo expeti debeat, jam nunc quaerendum. Ac primum omnium id tenendum, quod Enthyd. p. 283. C. ††) Plato confitetur, docendo non id agi, ut aliquid in animum inferatur, quo nunquam ulla effici posset eruditio rerumve cognitio, sed suscitari potius eas, quae animorum propriae ipsisque innatae sint ideae, praenotiones rerum sive anticipationes sine doctrina animis inhaerentes. Quocirca omnem doctrinam Plato ἐνάμνησιν esse putavit, quum verissime judicaret, quae inferrentur in animum cognosci nullo modo posse aliter, nisi agnoscerentur res sensibus vel intellectui subjectae †††) quam agnitionem necessariam prorsus esse, ne manerent res objectivae, quae dicuntur, sed ut fierent subjectivae. Quum mens illa a Deo in mundo hoc

\*) Cic. Tusc. L. I. c. 10. Ejus doctor Plato triplicem finxit animam: cujus principatum, id est rationem, in capite, sicut in arce posuit: et duas partes parere voluit, iram et cupiditatem: quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. Qua tamen in re, quum triplicem animam finxisse Platonem dicat, negligentem fuisse Ciceronem, nemo est paullo sagacior, quin facillime ex iis, quae supra disputavimus, conjiciat.

\*\*) Cic. Tusc. L. V. c. 27. Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius. Is ardentem faciem intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minuat.

\*\*\*) Luculentus de animi perturbatione a corpore profecta locus legitur Phaedon p. 66. D. καὶ γὰρ πολέμονες καὶ στάσεις καὶ μάχας οὐδὲν ἄλλο παρέχει ἢ τὸ σῶμα καὶ αἱ τούτου ἐπιθνημια κ. τ. λ. vide praeterea de

Republ. p. 611. C. ubi animus dicitur: λελωρημένος ὑπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας. — Omne malum proficisci a corpore et vitari omni studio, quousque ejus fieri possit, ab animo, elucet ex memorandis sane Platonis verbis, κακὸς ἔκὼν οὐδέεις, quae leguntur Tim. p. 86. E.

†) Cic. Tusc. L. III. c. 1. Nunc parvulos nobis natura dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restringimus, ut nusquam naturae lumen appareat. — Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et summa opinionum perversitate versamur: ut paens cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. — Accedunt etiam poetae etc.

††) Hac de re Plato copiosissime et ingeniosissime agit in L. VII. de Republ.

†††) Cic. Tusc. L. I. c. 24. Habet primum memoriam, et

creando adhibita per singulas naturas diffusa, genitrix sit rerum omnium eademque animi humani procreatrix ac veluti fons, unde ille manavit, quid mirum, si mens humana suam ipsius naturam in mundo hoc expressam sentiat! Itaque inducitur in Menone dialogo Platonis pusio quidam, qui quum nunquam mathematica didicerit, interrogatus tamen ita deinceps respondeat, ut appareat, tenere eum animo omnes illas mathematicas rationes, ad quas res corporeae compositae sunt: nec mirum, quum ejusdem particula mentis animus sit humanus, ex qua quum mundus universus, tum homo ipse genitus est. Hominis autem animus hoc in mundo dum detinetur, in quodam quasi exilio versatur, \*) itaque ubi se mentis divinae vestigium aliquod, in rebus finitis conspicuum, obtulerit ipsi, meminit divinae originis suae, et veritatis purae atque integrae, quam non oculorum vel aurium nescio quo sensu debili, sed sua ipsius vi nulla corporis, quod saepe jam appello, contagione depravata cernebat aliquando, priusquam in sensilem hunc detruderetur mundum. \*\*) Sed si quaesiveris,

eam infinitam, rerum innumerabilium. Quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitae. — Docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere: nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas *εἰρηναίας* vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viginisset. Quumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur, (nihil enim putat ille esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale *ἰδέαν* appellat ille, nos speciem) non potuit animus haec in corpore inclusus agnoscere: cognita attulit.

\*) Cic. Tusc. L. I. c. 22. Multo difficilior occurrit cogitatio multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam alienae domi, quam qualis, quum exierit.

\*\*) Itaque non ab omni parte falsa videatur exagitata toties vehementissime sententia Protagorae: *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος*, dummodo ita intelligatur, ut homo habeatur animus humanus materiae vitio nondum depravatus.

\*\*\*) Seneca Epist. 58. Tertium genus est eorum, quae propria sunt: innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. Quae sunt, interrogas? propria Platonis suppellex est. Ideas vocat, ex quibus omnia, quaecumque videmus, fiunt: et ad quas cuncta formantur. Hae immor-

quid tandem impulerit Platonem, ut illam statueret recordationem, haec est cogitandi singularis quaedam ratio, ut, quum res corporeae imagines tantum referant, nos ad eas progrediamur cogitando notiones.\*\*\*) quibus innumeras ejusdem generis res complectamur, eaque rerum veluti simulacra fingamus, quae prodeuntibus, obeuntibusque deinceps rebus finitis sive terrenis, maneat semper eadem. Quas quidem ideas sive notiones (abstractas) quum in animis nostris cogitando existere constet, infitari non possis, eadem exemplaria illa perfecta esse videri, vi quaedam admirabili praedita, quae res singulas ad suam quaeque similitudinem procreant et sustentant. †) Quum vero ideae illae procreandi quadam vi singulari praeditae a Deo ipso profectae et veluti cogitationes divinae videantur, quidni putaverit recte philosophus, nos quum notiones illas cogitamus, quae tamen nusquam hoc in mundo appareant, meminisse illius vitae, quam nondum in terras detrusi, una cum Deo ideas intuentes, egimus aliquando. Omnis igitur disciplina animi in illa posita est abstractione,

tales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere: exemplar picturae te habeo, ex quo caput aliquem habitum mens, quem operi suo imponat. Ita illa quae me docet et instruit facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum: ad quae, quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur.

Attulisse praeterea juvabit quae sequuntur, versantur enim in discrimine inter *ἰδέαν* et *εἶδος* proponendo, quod omittitur fere in natura idearum Platoniarum constituenda. Sunt autem haec: Quartum locum habet *εἶδος*. Quid sit hoc *εἶδος*, attendas oportet, et Platoni impates, non mihi, hanc rerum difficultatem: nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulo ante pictoris imagine utebar: ille quum reddere Virgilium coloribus vellet, ipsum intuebatur. Idea erat Virgilio facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, et operi suo imposuit, *εἶδος* est. Quid intersit, quæris? alterum exemplar est, alterum, forma ab exemplari sumpta, et operi imposita: alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem statua: haec est idos: habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex, statuam figuravit: haec idea est. — Idos in opere est: idea extra opus: nec tantum extra opus est, sed ante opus.

†) Seneca Epist. 65. His quintam Plato adjicit, exemplar,

quam dicunt, cujus ope a rebus corporeis escendimus sensim ad notiones eas, quibus omnes inferiores notiones et res omnes in mundo hoc conspicuae continentur. \*) Rei hujus luculenta exempla esse Sophistam, Politicum dialogos jam supra diximus. Verum enim vero quaeritur, quomodo fingendis ideis ad veram scientiam perveniatur et quid sit, quod spectamus imprimis in rebus cognoscendis, ut ne quid erroris suscipiatur. Qua in re primum sciendum est, res corporeas duabus constare partibus, quarum altera τὸ ὄν altera τὸ μὴ ὄν appellatur. Discrimen hoc idem est, quod supra inter τὸ πάντων et τὸ θάτερον statuebatur, quod alias etiam πέρας et ἄπειρον dicitur (v. in primis Philebum.) Horum alterum οὐσία est, alterum ἴλη. Quum jam e materia creata sint omnia ita, ut illam mens divina certis quibusdam cohiberet finibus, quibus efficeretur, ut ideae alicujus imaginem res referrent singulae: quaerenda in re omni idea illa, τὸ ὄν, τὸ πέρας, τὸ πάντων, quod rebus corporeis (τὸ μὴ ὄν, τὸ ἄπειρον, τὸ θάτερον) praetereuntibus et effluentibus perdurat, quod efficit provocandis novis aliisque continuo rebus, ne intereat mundus hicce; ut uno verbo comprehendam, ideae cognoscendae sunt, et cogitae ita conjungendae, ut ipsis nisi eveniamur ad contemplandam Dei Optimi Maximi naturam, cujus ideae etiam ipsae non immerito quasi cogitata quaedam esse perhibentur. de Republ. p. 479 — 80. \*\*)

Perfectio igitur hominis summa in animo excolendo, in idearum accurata cognitione, ut uno comprehendam verbo, in sapientia quam fieri potest maxima versatur, praesertim quod, quum insipientia saepissime vitae etiam nefariae ac scelestae causa sit habenda, ne bonus quidem quisquam esse possit, nisi vel ipse sapiens sit, vel a sapientibus regatur, nam ὁ φρόνιμος ἀγαθός, ὁ ἄφρων πονηρός Alc. I.

quam ipse ideam vocat: hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabit, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos: an intus, quod sibi ipse concepit et posuit. Haec exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum, quae agenda sunt, et modos mente complexus est, plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipsa autem humanitas ad

p. 125. A. 117. E. et Crat. p. 387. B. Omnium autem disciplinarum, quibus ad excolendum animum uti fere solemus, dialectica summa est atque optima, quippe quae id unum propositum habeat, ut amovenda paulatim τοῦ θάτερον natura res singulas non per se spectemus, sed diluendis deinceps erroribus ad idearum cognitionem perveniamus, ad illam nimirum a Deo Delphis praeceptam cognitionem, ut ipsa se mens agnoscat, conjunctaque cum mente divina sentiat. In idearum cognitione unice vera constat sapientia, summa virtutum omnium, quarum altera est fortitudo, tertia temperantia (σοφροσύνη), quarta justitia, quae quum conspicua fiat eo, ut unus quisque id agat, quod debet ac potest facere (τὰ ἀδίατὸν πράττειν de Republ.) omnium virtutum recte potest dici fundamentum, quum videlicet ex ipsa efflorescant omnia virtutum omnium genera partesque. Attamen Plato non spernit omnino corpus, et quamquam malum esse dicit, quod animum saepe perditum eat, (Phaedon p. 66 C. κακὸν τὸ σῶμα) nihilominus perfectionem hominis summam corpore etiam excolendo niti existimat; quippe qui in homine educando necesse esse putet, ut ordiamur a gymnastica, hanc subsequatur musica, ultimam ac summam eruditionis locum obtineat philosophia. Quibus singulis disciplinis effici ut καλοὶ κάγαθοὶ jure dicantur homines: quibus verbis quum Graecos vulgo, tum Platonem ipsum summam significasse perfectionem humanam, satis jam constat. Tim. p. 88. C. vide insuper de Republ. p. 376. 412. 472.

Sed quum expositum jam sit, quomodo et unde ortus sit animus, quomodo cum corpore copulatus: quid de morte judicaverit Plato, enarrandum est. Videtur itaque animus, quum e corpore exierit, non interiturus, quippe qui, priusquam hoc mortali includeretur corpore, jam fuisse putandus sit. Quod ipsum ex recordatione, quam saepe loquitur Plato, quum,

quam homo effingitur, permanet: et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nihil patitur.

\*) Vide Politicus p. 262, et Philebus p. 14, 15. Ἐν γὰρ τὰ πολλά, res enim quamvis multae una comprehenduntur idea.

\*\*) Errorem omnem efficere τὸ μὴ ὄν probatur Crat. p. 385. Praeterea attulisse juvabit quae in dissertatione de mun-

quid sit discere, demonstrare vult, intelligi posse existimat: qui enim memor sit rei alicujus, quae in mundo hoc minime versetur, is, quin vixerit, priusquam in terris nasceretur, dubitari omnino non posse. Phaedon p. 73. Erant quidem, qui dicerent, animum nihil esse aliud, nisi harmoniam nescio quam vel intentionem, quae una cum corpore, ex cujus apta compositione existeret, dissolveretur. Sed quis est paullo sagacior, quin absonam prorsus et paene fatuam hanc esse sententiam videat, quum constet animum, quem illi harmoniam quandam singularum corporis partium esse volunt, saepe repugnare et refragari corpori et corporis partibus singulis. Phaedon p. 94. Praeterea animus pars est mentis illius divinae et aeternae, quam Deus quum mundum hunc crearet, cum materia copulavit, quo haec licet aeterna non esset aut ab omni parte vera, imaginem tamen aeternitatis ac veritatis referret aliquam, et memores nos faceret idealis illius naturae. Cujus quum id proprium sit, ut simplex sit et individua, quomodo tandem eo vesaniae progredi aliquis possit, ut animum interiturum dicat, quum omnis nimirum interitus nihil aliud sit, nisi partium singularum, quibus res quaequam constat, dissolutio. Sed aliud etiam immortalitatis argumentum proposuit Plato demonstravitque, cur, quum afferat vitam animus, interire

non possit: quoniam enim id tantum morti obnoxium habetur, quod non a se ipso, sed ab alio quodam movetur, suscitatur ac continetur; animus autem et ipse per se vivit et aliis etiam naturis vitam imperit, consequens est, ut nunquam sit interiturus. Phaedon p. 106. Quod idem Phaedr. p. 245 ita probatur. \*) Certissimam immortalitatis spem inde peti, quod non extrinsecus, sed a se ipso animus moveatur. Quidquid enim semper moveatur, aeternum esse: quod autem motum afferat alicui, quodque ipsum agitur aliunde, id quando finem habeat motus, vivendi quoque finem habere oportere. Solum itaque quod se ipsum moveat, quia nunquam deseratur a se, nunquam ne moveri quidem desinere, quin etiam ceteris quae moveantur, hunc fontem, hoc principium esse movendi: principii autem nullam esse originem.

Si quae hucusque, ut Platonis de animo aperiremus placita, disseruimus, accurate animo lustraverimus, apparebit, si quid nostri iudicii est, summam praeclari ac paene divini philosophi hac in re esse, ut omissis, quantum ejus fieri posset, captiosis illis ac supervacaneis maximam partem de rerum sensibus subjectarum natura quaestiunculis, ea semper spectaret et sequeretur veritatis divinae vestigia, quibus via ad Dei Optimi, Maximi cognitionem, ad veram unice sapientiam, ad vitam denique vere

di principii secundum Platonem ante hos novem annos edita hac ipsa de re scripsimus p. 33: Materia igitur τὸ μὴ ὄν est sive id in quo Substantia appareat, in quo idea quemadmodum per se spectata quae propria est ex eodem est composita seque ipsa nititur, ita non in se ipsam coeat quasi sed in alio versetur substrato, in quo vi adhibita quodammodo distineatur. Materia haec ubi demeris ideam evanescet, nihil erit; ideae enim sunt τὸ ὄν: non tamen tolli potest, quomodo enim μὴ ὄν tollatur?

Plato igitur, quum abstractionem admoveret mundo sensibili, ὄν est nactus, quod esset, et μὴ ὄν, in quo esset idea. Inde prodit, cognoscere nos id, quod est, non vero id, in quo illud est: quomodo enim quod non est intelligatur, de quo eodem loquimur propterea tantum, quod non esse in se ideas perspectum habeamus. Quidquid igitur cogitatione amplectimur ad intelligentiam pertinet (νοῦς), quidquid non intellectum in mundo sensibili statuere cogimur, caeca necessitate obruditur nobis (ἀνάγκη): haec est dira illa necessitas, quae, quum ideae, dum se ipsis nituntur, perfectae sint ab omnibus numeris, ut perfectione hac sua priventur, i. e. mala,

falsa e. a. fiant efficiat. Materia igitur, quae τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν (Arist.) est, quantitas est absoluta i. e. possibilitas realis, receptaculum omnium quae fieri possunt (ποιότητες). Quod concinit cum priori argumentatione: est enim hoc etiam loco materia id solum, in quo aliquid appareat, aliquid vero sunt ipsae qualitates sive ideae. Denique materia, quantitas abstracta individuatur γέρεσει i. e. definitur ita ut evadant elementa, quae tamen ipsa non sunt, sed continuo motu feruntur ut non appareat materia in ipsis; motu enim illo, quum sit quantitativus (vide in Timaeo elementorum constructionem mathematicam non qualitativam) non mutatur ipsa materia (vide Tim.) et ignis non est idealiter diversus ab aqua. Quum igitur inter μὴ ὄν et ὄν intersit mathematica materiae definitio, hujus ipsius opera transitus sit a μὴ ὄν ad ὄν, uti definitis ideis transitur ab ὄν ad μὴ ὄν. Ita in homine adest materia, quae descripta est certis finibus mathematicis; adest altera ex parte idealis natura, quae, prouti per se est absoluta in homine, ita est definita, ut hominis sit idea (οὐσία cum πέρας): coniunctio denique utriusque partis anima perficitur.

beatam monstraretur. Quum itaque animo longe longeque plurimum tribuendum esse statueret, morum disciplinam condidit eam, quae a Graeco quidem homine ne expectari quidem potuerit perfectior. Pauca sunt, quae Plato, quum pertinerent ad absconditam illam et abjectam corporearum rerum cognitionem, ex Pythagoreorum disciplina in usum suum convertit, quae tamen universa uno Timaeo dialogo continentur: plurimo et incitato ad veritatem investigandam studio in officiis hominum constituendis et commendandis, in honestate omni laude cumulanda versatus est. Nimirum itaque in hac etiam nostra de animo dissertatione identidem de virtute, quam amplexaremur, de improbitate omni studio fugienda dicendum erat; quum nihil fere usquam protulerit Plato, quod non ad morum integritatem laudandam, aut ad animi

indolem excolendam relatum vellet. Itaque quum tantum uni tribueret animo, ut omnem illam fatuam maximam partem Ionicorum ac Pythagoreorum de rerum corporearum principiis missam faceret doctrinam, ex mente humana, quam recte igniculum esse dixit de mente divina depromptum, omnem derivabat veritatem, probitatem, felicitatem. Qui cum in omnibus dialogis suis admirabilem praestitit ingenii vim, tum in libris de Republica, quibus id potissimum agitur, ut animum perfectam illam speciem esse comprobetur, ad cuius similitudinem civitas omnis institui debeat, et subtilitate disserendi et iudicandi veritate effecit, ut unum omnium veterum philosophorum unius verae philosophiae viam et ipsum ingressum esse, et posteris munivisse, nemo sit, quin fateatur.

\*) Vide Cic. Tusc. L. I. c. 23, 29. 41. de N. D. L. II. c. 12. Audiamus enim Platonem quasi quemdam Deum philosophorum: cui duo placet esse motus, unum suum, alterum externum: esse autem divinus, quod ipsum ex

se sua sponte moveatur, quam quod pulsus agitur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hisque principium motus esse ductum putat.



Faint, illegible text in the left column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in the right column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.